Appolonius
Commotus autem animus diutius in questione morari non oportebit.
Quemadmodum enim dixit rhetor appolius lacrima nichil
citius arescit. Sed quoniam et satis ut uidemur de omnibus partibus
orationis diximus et huius uoluminis magnitudo longius
processit. que secuntur deinceps in secundo libro dicemus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS INVENTIONUM.

## LIBER SECUNDUS

CROTONIATAE QUONDAM CUM FLORERENT OMNIBUS
copiis et in italia cum primis beati numerarentur. templum iuno
nis quod religiosissime colebant. egregiis picturis locuplet-
Zeuxis re uoluerunt. Itaque eracleoten zeuxin qui tum longe ceteris ex
cellere pictoribus existimabatur magno pretio conductum adhibuerunt.
Is et ceteras conplures tabulas pinxit. quarum nonnulla pars usque
ad nostram memoriam propter fani religionem remansit. et ut ex
cellentem muliebris forme pulcritudinem muta in sese imago con
tineret. helene pingere se simulacrum uelle dixit. Quod crotoniatae
qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis prestare sepe
accepissent. libenter audierunt. Putauerunt enim si quo in genere plurimum
posset in eo magno opere laborasset egregium sibi opus illo in fano relicturum.
Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam zeuxis ilico quesiuit ab his
quasnam uirgines formosas haberent. Illi autem statim hominem deduxerunt
in palestram. atque ei pueros ostenderunt multos. magna preditos dignitate